DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE INFANTIUM SPASMODICO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. JACOBI MURISON, UNIVERSITATIS ANDREANÆ

RECTORIS MAGNIFICI,

COLLEGII SANCTÆ MARIÆ PRÆFECTI,

ET

S. S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS PRIMARII;

NEC NON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS, ET PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS SIMSON, A. M. SCOTO-BRITANNUS.

AD DIEM 27. OCTOBRIS, H. L. Q. S.

EDINBURGI:

In ædibus ROBERTI FLAMINII, M.DCC.LXI.

BRITISH MUSEUM

PLURIMUM HONORANDO DOMINO,

ALEXANDRO DICK DE PRIESTFIELD,

EQUITI BARONETTO;

COLLEGII MEDICORUM REGII EDINBURGENSIS

PRÆSIDI DIGNISSIMO;

MEDICINÆ SCIENTIA, ET BONIS LITERIS OMNIBUS

INSTRUCTISSIMO;

VITÆ ET MORUM INTEGRITATE, COMITATE, ELEGANTIA,

ORNATISSIMO;

PLURIBUS NOMINIBUS

PATRONO EXOPTATISSIMO;

HANC QUANTULAMCUNQUE SUMMÆ OBSERVANTIÆ

TESSERAM

D. D. D. C. Q.

JACOBUS SIMSON.

V

DE
ASTHMATE INFANTIUM SPASMODICO,
CUM
RAUCA VOCE, ET RESPIRATIONE SIBILA.

SECT. I.

CORPORUM animalium compages ex partibus conſtat diſſimilibus, quibus ſingulis propria eſt vis: hæ firmæ et friabiles; illæ firmæ et tenaces, atque haud facile diſſilientes; aliæ autem molles et fragiles; pleræque tamen deprehenduntur molles, tenſiles, et tenaces; atque in his varie componuntur membranæ, corium, ligamenta, caro, necnon et viſcera multiplicia; quorum mirâ ſtructurâ et operâ ex aſſumptis formatur chyli et ſanguinis proventus perpetuus; ex quo denique multa humorum varietas.

SECT II.

QUOMODO formantur humores non facile aſſequimur; nam ad eos in corpore perficiendos, requiritur

non ſolum aeris et atmoſphæræ actio, quæ raro eadem manet; ſed et dietæ ratio, famulantibus inſuper niſu et impulſu aſſiduo reſpirationis et muſculorum, aliiſque adminiculis generalibus.

SECT. III.

Ad chyli et ſanguinis formationem conſpirant omnia fere corporis viſcera, atque eodem non parum conferunt variæ corporis partes. Hinc fit, ut ſanguis ſit liquor compoſitus, ex congreſſu particularum diſſimilium, qui deinceps reſolvitur in humores varios: ſub his congreſſibus et reſolutionibus in ſe mutuo agunt particulæ, inque novam prorſus faciem ſe invicem mutant, vi ipſis inſitâ; quarum multiplicem operam aſſequi philoſophorum nemini licet. Adeo imperveſtigabilis eſt chemia corporis animalis!

SECT. IV.

Ex obſcurâ hâc humorum compoſitione, multum licet faciente ad integritatem et ſanitatem corporis, obſcurior redditur ars medica, atque ejus regulæ inventu difficiliores; quanquam non adeo difficiles, ut primâ ſpecie forſan videantur. Medici enim ex debitâ curâ vaſorum majorum, imperium quoddam obtinent in ſecretiones, quæ magis minuſque plerumque variant, pro ſtatu et conditione notiorum partium viſcerum,

rum. Eninvero medicinam facientes, rem sæpissime habent, non cum partibus obscurioribus, sed notioribus.

SECT. V.

Cum itaque in morbos tum solidorum tum fluidorum obtineat imperium, ex curâ præcipue solidorum, medici animus maxime intendendus est eorum curationi. Hujus sententiæ felicitas satis patet ex spasmorum enucleatione. Proveniunt enim hi ex fibrarum muscularium offensione; per quam haud parum mutantur corporis humores. Illæ enim fibræ musculique ex iis compositi, maximam constituunt partem superficiei corporis, reguntque artus omnes, et ipsa sensuum organa; et ab earum irritatione vitiantur humores, eâdemque suppressâ ad sanitatem redeunt. Quemadmodum accidit inter navigandum nauseantibus, quique, tunc temporis, evomunt prasinæ viriditatis humores, alias ventriculo ignotos. Quam temere autem et inutiliter operam suam poneret, qui in hoc casu ex humorum correctione curationem meditaretur?

SECT. VI.

Partes musculosæ ut suis fungantur officiis, misâ motus facilitate præditæ sunt; quæ ex earum facultate tensili pendet; cuique etiam parent quidam musculi usque ad alteram partem longitudinis solitæ, atque cito

sibi

ſibi ipſis permiſſi reſiliunt. Monſtrat hoc quodammodo muſculorum naturam, et a quo principio eorum petenda eſt actio; quæ nulla eſſe poteſt muſculi, cujus partes arcte nimis inter ſe componuntur. At e contra, quo laxior eſt partium compages, dummodo non prorſus reſolvatur, eo facilius in motum inducuntur: atque, ut Galeni de conſuetudine interpretis verbis utar, "Corpus rarum et molle facile, ab extrinſecus, "injuriis afficitur, durum autem facilius eas tolerat, "ægerrimeque ab illis labefactatur." Hinc intelligi poteſt, quare infantes adeo facile in ſpaſmos cogantur, eoque magis, quo laxior eſt eorum habitus; et quare etiam mulieres, magis quam viri, iiſdem tententur; et quid faciat muſculorum per antagoniſtas diſpoſitio, ad animi imperium in muſculos ſtabiliendum.

SECT. VII.

Hæc tamen animi in muſculos quantacunque poteſtas, non impedit quo minus omne acre aut pungens adhibitum, in motum eos cogat: horum autem actio in muſculos, longe diſcrepat ab animi actione; hæc enim, ſi modo conſcius agat animus, non ultra muſculos propagatur, quibus eſt opus, quoſque movere vult: ſed ſtimuli ad muſculum appliciti effectus raro intra limites certos conſiſtit, ſed propagatur quaquaverſum, etiam ad partes interdum a ſtimulo longe diſſitas. Excipiendus tamen eſt ſtimulus nervi, qualibet vi tenſi,

cujus

cujus actio non progreditur ultra musculum cui inseritur: notante illustrissimo Hallero.

SECT. VIII.

Dispositione musculorum in corpore nostro, motûs eorum facilitati optime consulitur; tensi enim detinentur per antagonistas, uti diximus; sed hæc facilitas ex usu multum augetur. Hinc scire licet, quænam corporis partes maxime opportunæ sint vexationi a serpente malo: in his imprimis numeramus cor ipsum, laryngem, intestina, et oculos. Cor assidue movetur, et tantum non perpetuo distenditur; sexagies enim aut septuagies uno temporis minuto dilatatur; atque siqua animi perturbatio vehementior invaserit, nunquam non palpitatione corripitur; quod etiam sæpius fit ex stimulo acerbiore, per corpus serpente, a quavis parte: exinde plerumque etiam respiratio incerta redditur, et haud raro tantum non clauditur larynx, cum vitæ periculo: quod si vis mali in ventriculum aut intestina ingruat, quibus contrahendi maxima facultas, sequitur nausea, vomitus, alvique dejectio, sæpe cum summo dolore: inter hæc, si oculi more insolito volvuntur, non mirum; quippe qui ita alveis suis componuntur, ut ad motum sint proclives. Sed cæterarum partium consideratio non est præsentis instituti; missis igitur istis, laryngis considerationem aggrediemur, ut rationem asthmatis, de quo sermo instituitur, dilucidemus.

SECT. IX.

SUPRA notavimus, ſtimulorum actioni muſculos maxime opportunos eſſe, qui ſtatu ſano maxime exercentur; quâ de cauſâ nullum corporis membrum magis quam larynx ab iis offendi ſolet. Reſpiratione enim, quæ viventibus nunquam ceſſat, perpetuo exercentur laryngis muſculi; quin inſuper lactantibus hæ partes peculiari ratione exagitantur: nam, ût ſuccum ex uberibus ducant, maxima muſculorum vi linguam deprimunt, epiglottidem, glottidemque claudunt, clauſamque detinent, donec pharyngis muſculi lac per gulam cogant; ita ut hi muſculi conſtringantur, tum de glutitionis, tum ſuctûs tempore; interea ſpiritus naribus ducendus eſt haud ſine vi quâdam in partes circa fauces; occluſis *ſciz.* aut ſupra ſolitum coarctatis omnibus anhelitûs viis. Ex his ſatis conſtat, infantium laryngem, parteſque huic vicinas ſummopere exerceri, atque inde ad ſtimulum et motum faciliores reddi, ideoque aphthis, glandularum intumeſcentia, dentitione, et inflammationis aliis cauſis, miſere ſæpe cruciari.

SECT. X.

CONDITIONES, ſuperiori (IX) ſectione memoratæ, veræ ſunt cauſæ aſthmatis ſtrangulantis et convulſivi, de quo agere in hâc diſſertatiunculâ ſuſcepi.

A fuctu enim larynx parteſque vicinæ ad motum tam faciles redduntur, et infantium fauces tam multiplicibus irritamentis objiciuntur, ut iis nimis quam familiares ſint hujuſmodi convulſiones. Verum hic forſan non abs re fuerit monere, eſſe caſum quendam, qui, licet non multum videatur abludere, nequaquam enumerandus eſt inter ſpecies noſtri aſthmatis. Hujus mali exemplum raro conſpicitur poſt octavum a partu diem; ab obſtetricibus improprie maxillæ deſcenſus nuncupatur; cum revera muſculi, qui maxillam inferiorem ad ſuperiorem adigunt, ſpaſmo rebelli, per diem unum aut alterum maxillam immotam detinent; interim fames et dolor infantem miſere lacerantes, in totum corpus ſpaſmos inducunt, cum ſpiritûs inſigni contentione; quibus tandem æger ſuccumbit, non obſtantibus mulierum medicantium technis; quibus pro more liberaliter abutuntur.

Malum hoc, ex ſuſcepto frigore arceſſiri, multoties notavimus. Frigidiſſimis enim anni temporibus, interdum ipſo natali, ſæpius uno aut altero a partu die, ad templum, intervallo parum commodo diſſitum, defertur infans nuda facie, et ibidem forſan diutius detinetur, ſolenni baptiſmi ritu, Chriſti ſacris initiandus. Nil mirum itaque, ſicubi invaluit ſæva hæc conſuetudo, Servatoris benigniſſimi et infantium amantiſſimi inſtitutis aliena, ibidem infantium maſſeteres crotaphiteſque muſculos, ſpaſmis pertentari. Hos quidem

ſpaſmos

ſpaſmos non admittimus inter ſpecies aſthmatis noſtri; nequaquam tamen omittendos cenſemus, in convulſionum infantium enumeratione: cum ſit ſpaſmi genus acutiſſimum, medelamque exigat præſentiſſimam, ab epiſpaſticis pone aures poſitis, anodynis, oleoſiſque ad muſculos affectos applicatis, cum intrinſecus nullum poſſit adhiberi remedium; obturatis nimirum maxillis, licet ſæpius moribundo infante reſolvuntur. Sed ad propoſitum redeundum, et, ut planiora fiant omnia, hic forte optimum fuerit, aſthma noſtrum quodammodo definire.

SECT. XI.

Hunc itaque morbum dicimus eſſe affectum laryngis ſpaſmodicum, a ſtimulo circa fauces, vel etiam partes remotas, provocatum, ſub quo ſpiritus ducitur cum labore maximo et clangore gutturali, recta cervice, et brachiis extenſis. Hæc omnia, ut ſimul et ſubito ſolent ingruere, ſic fere, remoto ſtimulo, evaneſcunt, cumque eodem redeunt. Morbus hicce, utpote maxime violentus, non eſt diuturnus; ſed intra paucos dies, ex ancipiti malo, convaleſcit infans aut letho datur. Hic forſan notari debet, licet hunc dicimus eſſe affectum laryngis ſpaſmodicum, exinde tamen aliquando malum hoc ad alias quoque partes corporis ſerpere, oculoſque et manus tentare, quamvis raro hoc fit, et ſub paroxyſmis duntaxat atrocioribus. Ex dictis

notis

notis, opinor, asthma hoc a congeneribus satis distingui posse.

Brevi hac descriptione viam munire volo ad remedia indicanda: frustra enim medicina paratur, cujus usus semper erit incertissimus, morbo non satis definito, nec causis ejus indagatis, quum singuli pro causarum varietate sua habent et propria remedia et curandi rationes; quibus posthabitis aut ignotis, ad medicamenta cæca et temeraria confugere non est medici, saltem probi et cordati. Nos igitur hic remedia auspicabimur ab iis, quibus hoc malum a dentitione provocatur.

SECT. XII.

Omnes fere infantes plus minusve male habet dentitio: haud pauci tantum non perpetuo vexantur toto hoc tempore: queruli fiunt et insomnes, nunc vomitionibus, nunc alvi dejectionibus, et variis omnino, et incertis molestiis jactantur, quibus tandem finem facit dentium eruptio: his licet attenuetur corpus, et vires minuantur, interea tamen sæpius convulsionibus non infestantur; saltem larynx, ubi præsentissimum periculum, a malo immunis est. Aliter autem se res habet in aliis, quibus nimirum a fœtu aut aliis causis infirmior est larynx; his enim sæpe primo quasi impulsu dentis acerbi ita afficitur larynx, ut illico conjiciatur infans in atrocem

asthmatis paroxysmum cum clangore surdo, cui ni adsit præsens remedium, uno quasi ictu, miserum pessundat. Sed si, post accessionem primam, remittat morbus, ut sæpius fit, nondum omnia tuta sunt: vi enim primi illius assultûs, malo opportunum adeo redditur corpus, ut quævis agitatio vehementior, ex risu, tussi, aut aliunde, morbum non satis profligatum denuo accersat; et periculum hoc toto dentitionis tempore immineat; præsertim si neglecta aut intermissa fuerint medicamenta idonea. Pergit sæpe morbus hic absque ullâ tussi, interdum tamen comitante tussiculâ leviore, et siccâ. Evanescente paroxysmo, ad fauces confluens humor, manifeste indicat, jam relaxari partes vicinas, morbumque fuisse ibidem spasmodicum.

SECT. XIII.

Huic malo si mederi volumus, nullus est dubitandi locus, quin dentium præcipue habenda sit ratio; itaque in auxilium vocanda sunt omnia, quæ iis succurrere possint, quæque inflammationem ex irritatione moderentur, & dentium per gingivas progressum, quantum fieri potest, accelerent: sed suadet periculum imminens ne tarde ad horum usum accedamus. Quum primum ergo inciderit suspicio offensæ laryngis, ex jugulari vena sanguis mittendus; quo facto, sæpius omnis metus illico tollitur; sin aliter, sine mora, epispastica ad longitudinem unius, & latitudinem duorum digitorum, si-

cum dorso, tum

nistræ

niſtræ laryngis parti accommodanda; quod raro feſellit; etiam poſtquam epiſpaſticum inter humeros applicatum nullam opem attulerat. Interea omnes maxillarum partes, præcipue ubi obtinet irritatio, oblinendæ oleo camphorato; & ſæpius oleum amygdalarum, vel ejuſmodi quid, ex cochleari minori, indendum ori; quo remolleſcant partes ſpaſmo coactæ. Nec negligenda ſunt ſpecifica, quibus ineſt vis quædam abdita ſpaſmos reſolvendi: ex his mihi maxime arridet pulvis valerianæ ſylveſtris, cujus virtutes etiam felibus non ſunt ignotæ; hæc enim animalia convulſionibus ſæpius tentantur. Sed hoc genus auxilii præcipue valet, poſt pacatam aut ſaltem mitigatam, prioribus medicamentis, ſtimuli vim; tunc enim uſu ejus quotidiano, non ſolum perficitur curatio, ſed ne morbus redeat optime præcavetur. Alvus etiam liquanda, ſed diætâ, jure, nempe pulli, ſero lactis vinoſo tenui, & ſimilibus, potius quam medicamentis; lac autem omne merum, præter nutricis, fugiendum: ſi his nihil proficitur, injectiones & purgantia medicamenta leniora adhibenda, manna, *ſciz.* rheum, atque etiam interdum exhibeo calomelanos grana duo vel tria. Sed omnino cavendum ne modum excedat purgatio, aut repetatur venæſectio, niſi id monet impetus febrilis: quo enim magis debilitatur infans, eo certius, ſpaſmis objicitur. Debilitatem enim ſemper comitatur fibrarum laxitas, ex quâ, uti ſupra diximus, infantes et mulieres huic morbo opportuniores fiunt. Atque adeo tenues & exſucci, item tumidi et pravis

humoribus

humoribus ſcatentes hoc malo tentantur, magis quam bonis ſuccis abundantes, quorum fibræ, utpote firmiores, non tam facile irritantur. Hinc monemur, infantibus deligere nutrices copiâ lactis & ætate florentes, quarum facies hilaris, bene colorata & euſarca indicium det humorum ad nutritionem bene compoſitorum. Hoc morbo laborantibus temere exhibentur pectoralia acria, licet id ſuadere videatur ſpiritus difficilis, et vocis clangor cum ſiccitate. Spaſmi enim, ex ſtimulo iſtis medicamentis inſito, omnia circumcirca itinera coarctant, et ſpiritum magis difficilem efficiunt: lubricantia autem potius danda ſunt. Quamvis enim ſpiritus ſalis ammoniaci ſit apprime utilis ad compeſcendos ſpaſmorum tumultus aliunde ortos, tamen ubi larynx eſt mali ſedes, omnes ejuſmodi ſpiritus irritantes ægros in periculum ſubito conjicere ſolent.

SECT. XIV.

NULLÆ corporis partes citius ex frigore male afficiuntur, quam quæ faucibus vicinæ ſunt: hinc enim provocatur tuſſis, intumeſcunt glandulæ, & haud raro ſpiritus difficilis redditur, cum iſtarum partium ſiccitate, & vocis clangore; quæ fere noſtrum morbum conſtituunt; cui quidem obnoxiores ſunt infantes, a cauſis ſupra memoratis; (SECT. IX.) eoque certius corripiuntur, ſi frigori accedat etiam humiditas; tunc enim, altius quaſi deſcendit frigus in corporis penetralia.

lia. Sæpe quidem ex hâc causâ morbus hicce initium duxit; sed sive hinc, sive aliunde, primitus oriundus fuerat, constat, frigore nihil certius aut subito magis eundem denuo arcessere, interdum etiam multos post annos a prima accessione. Atque adeo mihi contigit quosdem visere, cum a pubertate jam prope abessent, qui, ingruente euro humido, e plateis, ubi hilares paulo ante ludebant, domum delati fuerant, tantum non suffocati, ex spiritûs difficultate, cum vocis clangore, absque tussi tamen aut humorum colluvie; ut de spasmo ne quidem dubitare liceret. Quæcunque ergo causa hanc eladem olim importaverit, diu deinceps cavendum, ne frigori inconsultius objiciatur semel expertus. Laborantibus nihil magis expedite opem fert, quam tempestiva venæsectio, præcipue ad jugulares, si fieri potest, absque laryngis compressione; quæ etiam securius hic, si sit opus, iteratur, quam in dentientibus.

Quam primum epispastica etiam adhibenda, ut in priori casu, et oleosa itidem ori indenda; extrinsecus cervices lanâ et camphorâ fovendæ, quibus perspirationi consulitur.

Farinacea etiam, cum melle, et vini albi pauxillo, exhibenda; ut et serum lactis vinosum, sed tenue, ne nimis sanguinis motus ciatur.

SECT. XV.

INFANTIBUS ad labia, linguam, palatum, aliasque partes circa laryngem, familiaria sunt ulcera quædam; quorum dolores, qui sæpe sunt acerbissimi, spasmos concitant organi hujus mobilissimi: in his nulla sunt frequentiora iis, quæ aphthæ dicuntur; quæque multis sæpe infantibus, in ipsis cunis, mortis causæ fuere. Labia enim infantis ulcerosa, viro malo, plerumque nutricis papillas inficiunt, et mutuâ deinceps contagione, alitur et exasperatur morbus, cum insigni tum infantis tum nutricis cruciatu. Harum cum variæ sunt causæ, quæ primis a partu diebus apparent, ex retento meconio veniunt, quod a corpore ejectum oportuit; atque ideo auxilium petendum ab alvi solutione; sanguis etiam his sordibus inquinatus purgandus est, perspiratione auctâ, ad quam nihil magis facit quam diascordii pauxillum. Ego *gr.* x. dissolvo, vel in aq. distillat. aut seri lactis *unc.* ii. exhibeoque sæpius e cochleari minori, felici plerumque eventu. Et sane non solum hic remedium hoc efficacissimum est, sed etiam ubi ex vomitione, aut diarrhæâ, aut febrili affectu provocata fuerint hæc ulcera, admodum est utile.

SI a malignitate lactis nutricis oriantur, quid agendum nemini medicorum in dubio esse potest.

SIN

Sin ab aere, ut ſæpius, excitentur, ſponte fere digeruntur, ut et plerique morbi ex eâdem cauſâ, dummodo iis ſervire ſciat medicus ſecundum Hippocratis præcipue monita.

SECT. XVI.

Quas hactenus hujus morbi cauſas memoravimus, eæ vel ipſam laryngem, vel partes quam proximas attinent, quæ mutuo fibrarum amplexu illi connexæ ſunt: inter has jure cenſenda eſt pharynx, quæ laryngi arctiſſime cohæret; et ut omnia faucium mala participat, ſic ad eas haud inepte referri et attribui poteſt. Haud ulla corporis pars fortaſſe hâc mobilior; quin etiam ſæpe potu cibove devorando acerrime irritatur: raro hoc quidem aut nunquam infantibus accidit, quippe qui lacte ſolum aut cibo minime acri nutriuntur; ideoque mole aut qualitate aſſumptorum non offenditur iis pharynx. Sed ſi quando majoribus natu ſecus fit, ſtatim hoc ſpaſmo liberantur, ejecto per os, aut in ventriculum detruſo, quod gulam offenderat. Sed hoc forte non eſt hujus loci.

Hujus morbi cauſæ, quæ ex ipſâ larynge, aut partibus maxime vicinis, certe haud ultra pharyngem oriuntur, pro idiopathicis; quæ vero a partibus remotioribus, pro ſympatheticis ſunt habendæ: inter has nullæ ſunt frequentiores, quam ventriculi et inteſtinorum tormina,

tormina, quibus miſere vexantur infantes, et hinc per gulam intermediam et pharyngem malum ſæpe tranſit ad laryngem; ibique impetu facto, aſthmate hoc præfocante miſerum ſtrangulat. Sed cum ex his cauſis patitur larynx, cæteræ corporis partes a malo non prorſus ſunt immunes; maxima enim viſceribus intercedit quaſi neceſſitudo cum omnibus corporis membris; quod ſatis patet in colicâ pictonum, ſub quâ corporis extremitates miſere, ad paralyſin uſque, convelluntur: ita hic quoque cum convellitur larynx, cæteræ etiam corporis partes quodam modo convelluntur. Mali hujus origo, uti diximus, e primis viis eſt; itaque unde harum turbæ veniant, medico primum eſt proſpiciendum: ſed cum de his fuſe egerunt alii, nos non ultra proſequemur. Satis habebimus monere, poſtquam cancrorum oculis, vomitu, purgatione, nutricis curatione, aliisque quæ caſus monebit, prima morbi cauſa remota fuerit, rationem habendam eſſe ipſorum ſpaſmorum, qui radices altas adeo ſæpe agunt, ut per ſe ſubſiſtant: quibus extirpandis nihil accommodatius eſt emplaſtro antihyſterico majoris formæ ad abdomen retento; præſertim ſi exhibeatur interim pulvis valerianæ ſylveſtris.

Sed non ſolum a primis viis tranſcurrit hoc malum ad laryngem; interdum etiam a remotiſſimis corporis partibus eodem tendit, ſine ullo magni doloris ſenſu: quamprimum vero in laryngem invadit, ex injuriâ

riâ reſpirationi illatâ, illico perturbatur cordis motus, et miſere vexatur homo aut prorſus opprimitur. Atqui ni fallit obſervatio ſedula, impetus hic in laryngem, in pleriſque caſibus, eſt ultima quaſi ſcena hujus tragediæ, et finis ubi ad tempus ſaltem hæc mala deſinunt. Scio hic pleroſque ſuſpectum habere cerebrum; ſed quomodo hæc cerebrum præſtaret, nec ejuſdem ſtructura, quatenus hactenus explicita eſt, nec evidens certumque ullum experimentum confirmat: cum manifeſtum ſit ex officio laryngis in corpore, et ſtructurâ, eam non poſſe ſpaſmis tentari, quin ſequantur mala ſupra memorata; equidem novi bene multos, quibus ex aſſumptorum irritatione, ſæpe accidit pharyngis, aut cardiæ, aut partis alicujus intermediæ ſpaſmus; qui ſtatim cum larynge communicatus, tam arcte hanc aſtringit, ut ni, ſine morâ, ſurſum aut deorſum expulſum ſit quod gulam offendit, illico pereundum eſt. Cui ſano hic nervorum in mentem veniret, cum tot preſto ſint muſculi, vera motus inſtrumenta, quique etiam nervis liberi a quovis ſtimulo in actionem induci poſſunt.

SECT. XVII.

CONVULSIONES has infantibus familiares eſſe notaverat medicus diligentiſſimus Fredericus Hoffmannus: ſed earum naturam non ſatis exploratam habuiſſe conſtat ex ſyſtematis tom. IV. part. 3. cap. V. § 9. ubi de con-

vulsionibus agit. " Ad convulsivos œsophagi motus, " cum primis pertinent pectoris clangosæ concussiones, " quæ teneris infantibus inter epilepticas affectiones " evenire, et vulgo pro singultuosis commotionibns " venditari solent; re autem verâ, nihil sunt aliud " quam convulsivæ œsophagi et vicinarum partium " concussiones; et plerumque tristes sunt nuncii, cum " morbo ad extrema ventum esse: medico tunc nihil " supereſt, quam aut blandis antepilepticis, anodynis, " et analepticis pugnet, instantemque mortem præ- " nunciet." Dira sane prognosis! quam utique non nihil mitigasset vir celeberrimus, si ratio hujus morbi ei satis expedita fuisset; a quâ quam longe aberat, ex supradictis patet. Satis enim, ni fallor, ostensum est, morbum hunc, licet interdum ab œsophago aliisque partibus propagetur, sæpe tamen primigenium esse, eoque laryngem directe affici, nullâ aliâ interveniente corporis parte: clangor ille vocis, quem putasse videtur autor sub fine solummodo convulsionum accedere, certe nihil est præter sonitum aeris elisi, tenui et astricto glottidis foramine: et ex facili dignoverint astantes vel a singultu, vel a ructu, indicatque certissime laryngem affectam, et eodem remedia dirigenda esse. Quamobrem autem convulsiones œsophagi, et pectoris concussiones una confuderit, vix assequor, præsertim cum in eâdem fere sententiâ affirmet morbum hunc nihil aliud esse, quam convulsivas œsophagi et vicinarum partium concussiones.

SECT.

SECT. XVIII.

Si qui morbum hunc pro pertuſſi habent, næ illi vehementer errant. Pertuſſis enim fere ſemper ſolet eſſe epidemica, et quocunque ſemel ingruit, paſſim graſſatur in omnes, non ſolum ſub eodem tecto, ſed in eâdem urbe, et vicinià, qui nimirum antea nunquam hoc morbo impliciti fuerant; ſemel enim eo defuncti in perpetuum ſunt immunes; quemadmodum accidit in morbillorum et variolarum morbis. Aſthma vero noſtrum raro aut nunquam fit epidemicum, nec contagione vulgatur. Morbum utrumque ſæpe quidem comitatur febris, ſed in pertuſſi non niſi poſt multos labores hæc tandem ſubrepit; febricula autem cum aſthmate plerumque incipit, ſub ejuſdem exitu fere decreſcit, cum eoque penitus extinguitur: quodque maximum eſt, qui hoc aſthmate tenentur, ſæpe omnino tuſſi nullâ fatigantur: præterea cum pertuſſis in plures ſæpe menſes perdurat, aſthma hoc curriculum ſuum intra diem unum aut alterum conficit, licet ex novâ provocatione ſubinde recurſet, etiam uſque ad pubertatis annos. Illud tamen hic non diſſimulandum, pertuſſim ſæviorem ſæpe aſthmatis hujus ſpeciem quandam arceſſere, quæ a noſtratibus vulgo nuncupatur, *the Back-draught*, quaſi tuſſis, e pulmonibus emiſſa, rurſus revocaretur. Tunc nimirum, erumpit ſe clangor ille vocis, cum longâ inſpiratione, ore aperto, rectâ cervice, et brachiis

brachiis paſſis; adeo ut nonnunquam prorſus ſuffocetur æger. Atque hinc quidem pertuſſis inter cauſas cenſeri debet, quæ hanc aſthmatis ſpeciem inducunt, (ita tamen ut aſthma ſit ſymptoma quod ut alteri interdum accedat ſic ſæpe etiam abſit). Facit etiam hoc ad confirmandum quod ſupra attulimus, *ſciz.* Aſthma hoc ab omnibus cauſis provocari, quibus violentius afficitur larynx. Quin ex hoc exemplo, ſcire licet, quoſdam, poſtquam ex ephebis exceſſerunt, hac ſpecie teneri; cum pertuſſis aliquando etiam natu majores inceſſat. Immo haud raro ipſi ſenes, diu vulgari aſthmate afflicti, in hoc tandem incidunt, ut et plerique convulſionibus diuturnis fatigati.

SECT. XIX.

NEMINEM puto paulo attentiorem aſthma noſtrum pro anginâ ſtrangulatoriâ putridâ habiturum, licet huic quoque accedat rauca vox, et reſpiratio ſæpe difficilis. Noſtro enim morbo nulla adeſt putredinis nota; non eryſipelas ad partes laryngi vicinas; nullus putrefactionis progreſſus per pulmones, nares, œſophagum, vel inteſtina; nulla denique membranarum corruptarum ejectio, aut halitus putris.

SECT. XX.

JURE tandem forſan aliquis quærat, qui fit, ut in hoc aſthmate mors tam ſubito et certa ſæpe ſequatur con-

conſtrictionem laryngis, cum hyſterici, hypochondriaci, et ipſi epileptici ex ejuſdem conſtrictione, in deliquium ſolummodo cadant, unde ſemper fere ad ſe redeunt. Hujus quæſtionis ſolutio, ni fallor, pendet a naturâ, aliquatenus diverſâ, horum ſpaſmorum. Experimentis demonſtratum eſt, ſpaſmum a ſtimulo in loco aliquo excitatum, ſtatim evaneſcere, ſi alio in loco itidem excitetur, ut notat experientiſſimus Baro Van Swieten, vol. II. pag. 240. in aphoriſmos Boerhaavii. Quinetiam experientiâ comprobatur, ſpaſmos iſtos errabundos, qui per corpus vagantur, nuſquam fere diutius ſubſiſtere, ideoque ex iis minus eſſe periculi. Hujuſmodi ſunt hyſtericorum et cæterorum ſpaſmi: verum ſimulac laryngem, ubi impetus maxime ſentitur, vis morbi invadit, protinus percellitur mens, et attonita quaſi torpeſcit; ſed pulmones interim nil mali patiuntur, et pergit ſanguinis circuitio, ut ex pulſu ſcire licet, niſi forte ipſo temporis puncto, quo impetus in laryngem fit; confeſtim enim ſpaſmi ſolvuntur, mens autem attonita ad tempus aliquod, et torpida jacet, omni curâ atque adeo cogitatione ſoluta, quaſi in gravem ſomnum delapſa; ex quo tamen ad ſe tandem redit, haud aliter quam ex alto ſopore expergiſcitur homo. Ubi vero ſpaſmus loco alicui affigitur et adhæret, majus ſubeſt periculum, nimirum, ſi pars ea vitalis ſit; diutius enim tunc et vehementius urgere ſolet. In hoc autem aſthmate, ipſa origo et ſedes mali ad ipſam laryngem ſæpe eſt, aut partes maxime vicinas;

arque ibidem ſpaſmi hærent et ſubſiſtunt, nec ultra vagantur, ſed in laryngem incumbunt, eamque comprimunt, conſtringunt, claudunt, clauſamque tenent, uſque dum opprimitur infans; impeditâ, *ſciz.* ſanguinis circuitione; unde citiſſime extinguitur vita; ut conſtat ex experimentis Haleſii, viri celeberrimi, et harum rerum ſpectatoris elegantiſſimi.

Sed de hoc aſthmate, pro exercitii hujus naturâ, ſatis multa.

FINIS.

BRITISH MUSEUM